

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

PHILOSOPHIA  
IN GENERE.

Quam

Cum consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in  
Regiâ Academiâ Aboënsi pro gradu Magisterij  
in Philosophia consequendo,

Magnifico Rectore,

Admod. Reverendo & Praclarissimo Viro,

DN. M. SVENONE VIGELIO

S.S. Theol. Prof. P. longè dexterrimo ut & in Sagu Pa-  
stori fideliss: Patrono suo summè honorando.

Spectabiliq; Decano

Reverendo & Praclarissimo Viro,

DN. M. SIMONE KEXLERO,

Mathematicum Professore Publ. Ordinario,

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Excellentissimi Viri,

DN. M. MICHAELIS O. VVEXIONII

Historiarum ibidem & Politices Profess. Celeberrimi,

In Auditorio Majori publicè ventilandam exhibet

JACOBUS ELAI TERSERUS.

Ad diem 15. Aprilis Anni currentis 1643.

ABOGIÆ

---

Typis Exscribebat Petrus Wald Acad. Typographus

ANNO 1643.

Me defendit Die  
Lericus Pet. Moll.

PHILOSOPHY  
IN GENERAL

Containing a complete and accurate  
system of logic, metaphysics, and  
ethics, as they relate to the human  
mind, and the conduct of life.

BY M. SYMONS, M.D.

Author of "The Principles of  
Moral Philosophy," &c.

BY M. SYMONS, M.D.

Author of "The Principles of  
Moral Philosophy," &c.

BY M. SYMONS, M.D.

Author of "The Principles of  
Moral Philosophy," &c.

BY M. SYMONS, M.D.

Author of "The Principles of  
Moral Philosophy," &c.

ALONE

The Author of "The Principles of  
Moral Philosophy," &c.





## THESIS I.

Multis laudibus titulisq; Philosophiam exornare sicuti instituti mei non est ita neq; magnoperè videtur requirendum: In confesso enim est hanc artem illam aut scientiam esse, quæ se nobis densissimam mentis caliginem ab oculis erepturam, semitamq; rectam demonstraturam polliceatur, & ad eos fines nos deducturam, qui maximè è naturâ sunt, & in quibus summa & absolutio vitæ nostræ contineatur: *Quapropter ego quoq; præstantiâ & dulcedine ejus adductus, cum aliquid luci publicæ dandum esset, ad Generalem ejus constitutionem & naturam considerandam animum applicui, non quo accuratâ translatione singula persequer (neq; enim vel temporis id angustia permittit) sed ut strictim & in parodo quasi Generalissimis circa hanc materiam delibatis, aditum mihi ad præclarum exercitium & quovis liberali ingenio dignum patefacerem.*

## II.

Nea. sine certo ordine fluctuans & vagabundus incederem tractatum hunc universum ad certa capita ita revocare placuit ut primo de Philosophiæ origine: deinde de voce ipsa: tum de Definitione & Divisione: Ultimo de partium Philosophiæ præstantiâ, atq; inter se collatione agerem.

### III.

Ut igitur secundum ordinem præscriptum de *origine primâ Philosophiæ* non nihil principio dicam statuendum omninò est Deum Opt. Max. primævam sapientiæ omnis liberaliumq; artium causam esse; Primum autem & præstantissimum Philosophorum extitisse Adamum, qui etiam præ alijs hominibus eâ prærogativâ gaudebat, quod ille concreatâ quadam, & immediatè à Deo concessâ sapientiâ, de rebus omnibus perfectè judicare potuerit: ceteri autem quamvis exquisitâ hac & connatâ scientiâ propter peccatum destituti sunt, potentias tamen, & quædam quasi semina relicta habent, unde etsi non ad eminentem illam, non nullam tamen, satisq; in se præclaram scientiam possint exsurgere. IV.

Philosophiam hanc postea ab Adamo usq; ad Noachum posteris quasi per manus traditam fuisse, veritati consonum est, à quo deindè ad sanctos Patriarchas derivata in Ægyptios Græcosq; manavit, & apud hos quidem adeò exulta philosophiæ artiumq; cæterarum est doctrina, ut proindè non nulli apud eos natas inventasq; literas existimarent: quorum opinionem videre est refutatam à Pererio lib. 4. phys. cap. 2. & Toletio in proem. phys. cap. 2.

### V.

In Græciâ autem quamvis plurimi extiterint de re literaria optimè meriti, nemo tamen eorum, sive ob copiam scriptorum, sive diligentiam & acumen quod in ordinâdis disciplinis adhibuit, cum Aristotele est comparandus.

### VI.

*Nomen Philosophiæ quod attinet duo circa illud consideranda veniunt notatio ejusdem & ambiguitas.*

### VII.

*Quantum ad primum, vox Philosophias dicitur ab a-*  
man-



mando sapientiam ( cum enim sophia olim hoc est sapientia vocitaretur, Pythagoras exosus hominum multorum stolidam arrogantiam, qui videri, quam esse sapientes mallent; interroganti Phyliastorum Regi Leonti quâ nam arte polleret, quemq; se esse profiteretur: Novo quodam insuetog; tum temporis vocabulo, Philosophum id est Amatorem sapientia esse se dicebat.

### VIII.

Quantum ad alterum, philosophiæ nomen variè accipitur: ego vero brevitati studens duas saltem famosiores ejusdem significationes annotabo: Itaq; interdum latius accipitur ut præter reales disciplinas, instrumentales etiam includat, quæ acceptio philosophiæ antiquissima est; quippè quam à Platonicis Socraticisq; jam diu ante Aristotelem usurpatam fuisse constat. Interdum strictius proprijs nimirum quæ de ente reali tantum agunt, estq; hæc Aristotelis peripateticorumq; propria, quorum etiam hic ductum sequendum mihi putavi, non quod Philosophia nomen ullo modo in tantâ latitudine sumi non possit (quemadmodum nonnulli sentiunt) ut instrumentales etiam disciplinas comprehendat, sed quod illi ambiguitatis ergò tollendæ ac ribeiam in hoc verbo majorem adhibuerint, & per Philosophiam id tantum intellexerint quod ad sapientiam acquirendam primò & per se conferret.

### IX.

Hæc de voce philosophiæ sequitur *Definitio ipsa*, ubi duo in primis prænotanda 1. Philosophiam cum sit Accidentes & quidem ex multis distinctisq; habitibus aggregatum, non posse propriè sic dicta & accurata Definitione defini. 2. Definitionem illam quæ ab Aristotele 6. Eth. ad Nic. c. 7. traditur quod sit habitus ex intelligentia & scientia constans, angustiores esse quam ut sapientiam totam complectatur; manifestè n. Practicam philosophiam ex-

cludit, quæ tamen sapientiæ pars non minima est. *Notari hic etiam potest, sex definitiones illas quas ex Damasceno citat Scheiblerus in Tractatu suo Proëm. ad Logicam imperfectiores esse; earum n. alia Nominalis tantum est, velut ista: Philosophia est amor sapientiæ: alia Speculativa Philosophia propria utpote prima. Quædam Practicæ tantum nimirum tertia & quarta: Ultima demum quæ ars artium & scientia scientiarum appellatur, tantum est Encomiastica.*

X.

Missis igitur hisce & aliorum Definitionibus quæ passim occurrunt & legi possunt apud autores, hujusmodi ejus descriptionem quandam damus: Philosophia est animi habitus intellectum nostrum & voluntatem in ijs perficiens quæ ab homine prout naturaliter consideratur, primariò scienda vel agenda sunt à Deo per assiduum studium & industriam communicatus.

XI.

Definitio hæc tradita ut melius pateat, duo circa illam notanda veniunt *Genus & Differentia*: illud communem ejus cum alijs artibus naturam, hæc essentiam propriam clarius indicat.

XII.

*Genus* Habitum statuo, eumq; non per *Concreationem* seu *nativitatem*; quippè intellectus noster est veluti rasa quædam tabula, cui proindè per talem habitum, nihil est inscriptum; sed per *acquisitionem*, quilibet enim secum facile experitur, quanto labore in eo parando acquirendoq; opus sit.

XIII.

*Differentia Philosophiæ* à subjecto ejus, causa efficiëte & finali proponitur, quemadmodum Arist. 6. Ethicorum c. 1. Accidentia esse definienda præcipit.

XIV.

*Subjectum Philosophiæ* animam statuimus & quidem  
secun-



secundum utramq; ejus facultatem, quæ primariæ aliàs  
Physicis dicuntur intellectum & voluntatem, illum con-  
templativæ philosophiæ partes potissimum perficiunt,  
hanc practicæ.

XV.

*Causa Efficiens* habitus hujus philosophici est qua Ha-  
bitum hunc homines assequuntur: estq; ut é tradita Defi-  
nitione patet, duplex primaria & secundaria.

XVI.

*Primaria causa* ejus est Deus Opt: Maximus: Quod i-  
psum non sacra tantum literæ aperte satis evincunt; quip-  
pè à quo omne donum bonum & perfectum provenire  
Apost. Jacobus testatur, sed ethnici etiam sapientiores una-  
nimi consensu docuerunt: inter alios a. maximè illustre  
hujus rei testimonium perhibet Cicero 1. Tuscul. quod i-  
deò non pigebit ascribere: *Philosophia mater omnium bona-  
rum artium, nihil est aliud, ut Plato ait, quam donum & inven-  
tum Deorum.* Hæc nos primum ad Deorum cultum: deinde  
ad jus hominum, qd situm est in generis humani societate:  
tum ad modestiam, magnitudinemq; animi erudit, &c.

XVII.

*Secundaria causa Efficiens* est indefessum studium & la-  
bor qui in doctrina & exercitatione consistit; Deus enim  
dona sua non immediatè hâc in vitâ hominibus largitur,  
sed mediante labore atq; opera, quemadmodum Adamo  
etiam primo statim post lapsum tempore enunciat dicens:  
in sudore vultus tui comedes panem tuum Gen. 3. & præ-  
clarè quoq; apud Xenophontem canit Epicharmus: Deus  
sua bona laborib<sup>9</sup> vendit. Præter hæc ad meliorem in sa-  
pientiæ studio successum obtinendum, preces etiam ad De-  
um omnis sapientiæ largitorem addendæ maximè autem  
Christianis sunt, quod itidem, & profanos quoq; philoso-  
phos

phos & Poëtas in exordijs suorum scriptorum suo more  
factitasse legimus? XVIII.

*Finis Philosophiæ* innuitur ijs in verbis ubi dicitur, eam  
esse habitum, perficientem nostrum intellectum & voluntatem  
in ijs, &c. Is igitur est perfectio nostri intellectus &  
voluntatis: *hanc a. quamvis incorrupta illa, & ex ipso fonte im-*  
*mediatè promanans sapientia plenius & perfectius præstet, secunda-*  
*riò tamen & ad similitudinem ejus humana etiam sapientia id efficit.*

XIX.

Hactenus de philosophiæ origine & definitione tam  
nominali quam reali breviter actum est: sequitur ut de  
Divisione ejusdem agamus; quum enim & objectorum  
quæ hic tractantur ratio non sit eadem, modusq; ipse ea-  
dem objecta considerandi sit plane diversus, non potest phi-  
losophia unus specie habitus esse; & proindè disciplinâ  
unâ speciali absolvi. XX.

Divisio autem philosophiæ secundum Platonicorum  
atq; Stoicorum mentem est tripartita: in *Naturalem Mora-*  
*lem & Logicam*, quæ quamvis (ut dictum est) ampliatio non-  
nihil philosophiæ nomine, ita ut ad instrumentales quoq;  
disciplinas extendatur acceptari possit, missâ tamen eâ ex  
mente Aristotelis & Peripateticorum, dividimus philoso-  
phiam in *Theoreticam & Practicam*, seu quod idem est *specula-*  
*tivam & Activam*: cujus Divisionis fundamentum, inter  
alios, videre est latè pertractatum à Pererio i.l.phys.cap.3.

XXI.

Ut autem Differentiæ horum habituum Practico-  
rum & Theoreticorum clarius elucescant, dexteriusq; in-  
finuentur, paucis undè eæ petendæ sint explanare libuit.  
prima itaq; assertio sit: XXII.

Habitu non posse dici Theoreticum vel Practicum  
fo-



Solum ratione objecti: una enim eademq; res potest esse & operabilis & speculabilis, ideoq; etiam considerari potest in habitu speculativo & habitu practico.

### XXIII.

Secunda: Habitu dici Theoreticum vel practicum ratione Finis vel Effectus cum qualicunq; connotatione objecti.

### XXIV.

Tertia: Denominationem illam totam peti debere non è propinquo scientiæ alicujus, sine, sed ultimo; Finem autem illum ultimum, qui facit scientiam Theoreticam vel practicam, petendum esse ex natura ipsius disciplinæ, non ex intentione discantis, nisi illa intentio discantis, sit correspondens ipsi scientiæ quæ discitur.

### XXV.

Hiscè ita præsuppositis facile est colligere quam sit horum habituum differentia, & undè illa petenda: Habitus igitur contemplativus erit, q̄ res sibi propositas docet solum cognoscere, & non refert eam cognitionem ad operationem; practicus a. qui cognoscit res sibi propositas, ultimò transferens eam cognitionem ad operationem.

### XXVI.

Atq; ita Generalis philosophiæ Divisio fuit, sequitur specialis partis utriusq; Distributio.

### XXVII.

Philosophia speculativa secundum triplicem à materiâ sensibili abstractionem in tres distinctas scientias commode dividitur, *Metaphysicam, Physicam & Mathesin.*

### XXVIII.

*Metaphysica abstractio* includit ea, quâ aliqua abstrahunt à materiâ sensibili secundum rem & rationem; *Hinc patet omnia ea considerationis Metaphysicæ esse, quæ ratione suæ es-*

*sentia non necessario includunt materiam sensibilem, qualia sunt Ens  
& affectiones cujus, item Deus & intelligentia, &c.*

XXIX.

*Mathematica Abstractio* comprehendit ea, quæ à materiâ sensibili solum secundum rationem abstracta sunt, cujusmodi est *Quantitas*. XXX.

*Physica demum Abstractio* comprehendit ea quæ cognoscuntur sine materiâ signata sive singulari: Quamvis Abstractio illa Physica ut in corruptibilium corporum consideratione necessaria omnino est, ita in incorruptibilibus non magno opere videtur requirenda.

XXXI.

Præter has tres enumeratas scientias nonnulli quartam addunt, quæ de Deo & intelligentijs agat; *Sed quia hæc sub Abstractione Metaphysicâ continentur, paucaq; admodum sunt quæ natura lumine de ijs sciri possunt, salvo cæterorum iudicio, non necessum duxi Quartam illam addere.* Licet enim diffidendum non sit Deum & angelos puri<sup>9</sup> multo à materiâ abstrahere quam transcendentia; id tamen diversitatem solum in gradu vel modo, non in specie abstractionis arguit.

XXXII.

Sicut autem contemplatarum Scientiarum differentia ex objecto, ita Practicarum è Fine petenda est: Finis a. qui in Philosophiâ Practicâ intenditur bonum quoddam est Civile, cujus iterum ratio duplex est; vel n. acquiritur bonum aliquod in communi unde Ethica nascitur, absoluta aliàs Philosophiæ practicæ pars dicta: vel speciale, undè Oeconomina & Politica exsurgunt, dictæ alias Relata philosophiæ practicæ pars, quod ad certum statum Oeconomicum vid. & politicum referantur: atq; hinc patet tres in universum philosophiæ practicæ partes esse *Ethicam, Politicam & Oeconomicam*.



Atque hæc de philosophiæ partium differentiâ & Divisione tradita sufficiant, quas si inter se comparare & conferre lubeat dicendum est, 1. Speculativam philosophiam ratione objecti & certitudinis, Practicæ omnino præferendam esse, contra si usum, quem vitæ humanæ utraq; præstat æstimemus, hanc præeminere. 2. Inter contemplativas scientias, primas sibi vindicare Metaphysicam propter summam nobilitatem earum rerum quas tractat; *agit n. de Deo & intelligentijs quare etiam prima Philosophia, Metaphysica & Theologia nuncupatur, eo quod doctrinam omnem de Deo, quantum quidem lumine rationis innotescere potest, absolvat.* 3. Inter Philosophiæ Practicæ partes, ratione usus, qui latissimè patet, cæteris antecellere Ethicam; dignitatis autem respectu, Politicam eminere. Hæc de *Philosophiâ in Genere*, pro re natâ impræsentiarum, disseruisse sufficiat: *Deum Ter Opt: Max: supplex adoro ut hæc cæteraq; studia & conatus nostros in nominis sui Divini gloriam, Ecclesiæq; salutare emolumentum dirigere clementer paterneq; dignetur.*



*Eruditissimo*

Dn. JACOBO ELAI TERSERO,  
Philosophiæ Candidato dignissimo.

**Q**uid jurvat à teneris doctorum scripta virorum,  
Legisse, & studijs in vigilasse bonis?  
Terfere, *Aonia pars non postrema Cætervæ,*  
*Vis mea Musa tibi carmine nunc referat?*

*Um.*

*Umbra velut sequitur viventis corporis artus;  
Almam doctrinam sic comitatur honos.  
Hinc tibi condignè summi tribuuntur honores,  
Inclita quos meruit pallas, & ingenium.  
Nam, Tersere, tuos certasti fortiter annos,  
Multa vorans studijs tadia Piëridum.  
Quod superest vorreo multos in Nestoris annos  
Vivas longævus latus honore Deo.*

Honoris & amoris ergo hæc paucula  
gratulabundus apposuit

NICOLAUS L. NTCOPENSIS

Log. & Poës. Prof: P.



*Præstantissimo ac Doctissimo Philosophiæ Candidato,  
Dn. JACOBO E. TERSERO,  
pro gradu Magist. disputanti*

**A**onias vidi non dudum huc ire sorores  
Gloria penè sequax, sed labor ante fuit:  
Ut quoq; Terseri labor exploravit acumen:  
Differe, ait, Thesis gloria certa manet.  
*Doctè quodque facis, Quod possum & carmine grator  
Cum ars Ter-Serum non probat hæc thesium.*

Amico ac populari suo integerrimo  
lubens gratulatur

JOH. W. PONTELIUS.

